DISSERTATIO JVRIS FEVDALIS

DE

FEVDI

ET

JVRIS FEVDALIS DEFINITIONE ESSENTIA ATQVE ORIGINE

QVAM

PRAESIDE

GOTTLIEB STVRMIO

PHIL. ET J. V. D.

VITEMBERGAE IN AVDITORIO JCTORVM

HORIS CONSVETIS

d. XXVII Octbr. cIↃIↃCCXXXIV

DEFENDET

JOANNES CHRISTIAN. HOEBLER,

ILEBVRGENSIS.

VITEMBERGAE

LITERIS SCHLOMACHIANIS.





DISSERTATIO I.

DE FEVDI ET JVRIS FEVDALIS DEFINITIONE ESSENTIA ATQVE ORIGINE.

§. I.



Eudum, si rem spectas, triplici potissimum sensu occurrit, vel 1) rem in feudum datam significat, 2) vel pactum de feudo concedendo, quod vulgo contractum feudalem nominant 3) vel jus, quod in re feudali vel domino vel Vasallo competit *a*) Primus sensus occurrit *1. F. 4. 2. F. 1. §. Sciendum* & passim.

a) Plures significationes exhibet *B. G. Struvius in Jurisprud. feud. cap. 2. §. 1.* scilicet, quod etiam sumatur pro salario & stipendio, qui significatus tamen plane convenit cum significatu in spho num. 1. recensito. Item pro officio v. g. feudum magni sigilli, Mareschalli &c.

sim. In hoc sensu feudum est res immobilis vel quæ pro immobili habetur, cujus dominium utile dominus, retento dominio directo, Vasallo, sub lege fidelitatis, concessit. In sensu secundo vocabulum feudi notum est ex *1. F. 28. 2. F. 20. &c.* & est pactum legitimum vi cujus rei immobilis, vel quæ pro tali habetur, dominium utile, sub lege fidelitatis Vasallo a domino, retento dominio directo, conceditur. In sensu tertio legitur *2. F. 34. §. 1. &c.* atque ratione domini est dominium directum in re immobili, vel quæ pro tali habetur, retentum, cum dominium utile sub lege fidelitatis in Vasallum transferretur, ut omnis fidelitas exinde præstetur. Ratione Vasalli vero est dominium utile in re immobili vel simili per investituram Vasallo sub lege fidelitatis a Domino concessum. *b)*

§. II.

b) Quodsi varii significatus ita enodantur atque definiuntur separatim, omnes disparent dubitationes, quas sibi & aliis movet laudatus *Struvius cit. l. §. 2.* nec ipsius *Struvii* definitio admodum arridet & quidem sequentibus ex rationibus 1) quia a Domino superiori feudum deferri asserit, cum tamen & ab æquali & ab inferiori possit, nec nexus feudalis conditionem Vasalli deteriorem reddat. Reverentia enim domino debita non involvit subjectionem, quam superioribus debemus 2) displicent verba: *jure hereditario concessum*, quippe quæ assertio in liberis quidem vera est, neutiquam vero in agnatis atque simultanee investitis 3) verba non adæquata sunt sequentia: *de eadem nonnisi domini consensu disponat*, nam libere transigit Vasallus, libere servitutem imponit, &c. 4) nimis generalia sunt, *quod libere eadem re feudali utatur*, cum ta-

§. II.

Feudum, si nomen consideres, a variis varie derivatur, alia a fide, alii a feda, quæ inimicitiam indicat, alii a fuden, quasii füttern/ imo etiam alii a foedere, deducunt, vid. *Ludewig. de Jur. Clientel. c. 2. §. 5.* Sed cum re & genio linguæ Germanicæ, imo cum scriptura antiqua convenit a plerisque hodie laudata derivatio, quod a Germanico fee & od sit deducendum, quam approbat *Schilt. in Comm. J. F. A. §. 7. ad rubr.* semper enim ab antiquis Feodum scribebatur. Fee enim non solum rem pecuariam sed & mercedem seu stipendium significat, Od vero possessionem adeo, ut feudum sit possessio stipendiaria c).

men certo certius sit, Vasallo ita re uti debere, ne aliquod detrimentum capiat alicujus momenti 5) servitia tanquam essentiale requirat in definitione feudi cum tamen feuda quam plurima sint, quæ nulla servitia requirant 6) in tota definitione essentialia a naturalibus neque sunt distincta neque satis clare determinata.

c) An vero ab Od vel Ot vocabulum Edelmann sit derivandum sicuti *Eccard in not. ad leges Salicas tit. 14. §. 1.* ad verbum *Avibumia*, vult, dubito, nec necessitas hanc derivationem urget, quia vox Edel æque germanica est ac Od, & si ab Edel derivamus, magis cum re convenit, quam si derivamus ab Od. omnes enim possidens bona est quidem ein Odmann h. e. begüteter Mann sed non statim ein Edelmann i. e. nobilis.

§. III.

Ad feudorum essentiam igitur requiritur 1) ut dominium directum & utile sit distinctum, quorum illud apud Dominum remansit, hoc ad Vasallum translatum sit, 2) ut fidelitas *d*) exinde præstetur 3) ut adsit res immobilis, vel quæ pro tali habetur *e*) (§. 1.

§. IV.

Habent feuda etiam sua naturalia, quæ ejusmodi feudorum attributa sunt, quæ adesse regulariter præsumuntur, per pacta tamen adjecta immutari possunt. Formavit ea, *ut verbis utar Cocceji*, illustrium ac generosarum familiarum ratio, ad eas enim & conservandas & reipublicæ devinciendas pertinet, ut feuda sint masculina, alienari sine consensu domini & agnatorum prohibita, ut præstetur juramentum &c.

§. V.

d) h. e. ut observetur obligatio feudalis seu quæ promissa sunt in primo feudali pacto.

e) requirunt alii, ut sit beneficium *Cocccj. in Hypom. jur. F. tit. 2. §. 5. Finckelth. disp. 1. §. 2.* commoti ex *2. F. 23.* Sed beneficium non est feudi essentiale, sed ejus nomen, noluerunt scil. Antiquiores vocem feudi Germanicam in artem inferre, hinc voce beneficii usi sunt uti apparet ex tot locis *Aut. Vet. de beneficiis*, & si hæcce observantur, quam plurimæ tricæ evitari possunt, quæ a Dd. exinde deducuntur *vid. Finckelth. cit. l. & Langgut ad c. l. Coccej.*

§. V.

Conſpiciuntur etiam in feudis accidentalia, quæ per pacta adduntur *f*). Si ejusmodi accidentalia, naturalibus aliquid detrahunt, fiunt feuda impropria, ſin autem præter naturalia aliquid addunt feuda manent propria.

§. VI.

Hæc quidem naturalia æque ac accidentalia feudum non ſtatim & ſimul accepit, ſed ſenſim variis fuit auctum, & plura prout uſus exigebat, acceſſere. Imo plura iterum hodie immutata videntur, quæ olim neceſſaria credebantur, de quibus in ſeqq.

§. VII.

Feudis occaſionem dedit penuria æris apud Germanos; nam non habebant, unde ſtipendia proceribus aliisque, qui in reipublicæ commodum vigilabant, darent, hinc illis, de terris quibusdam, ſub lege fidelitatis, dominium utile conceſſerunt. Olim enim ante reges conſtitutos diu nemo certam ſedem aut agri partem propri-

f) Pro accidentalibus etiam ea habentur a nonnullis, quæ tacite inſunt. *vid. Coccej. tit. 2. §. 8.* v. g. quod feudum Guardiæ atque Gaſtaldiæ poſt annum revocari poſſit 1. F. 11. Item in feudo a femina primitus acquiſito, ſucceſſio feminarum præſumatur; ſed perperam, quicquid enim tacite ineſt, ad naturalia potius quam accidentalia referendum *add. Beyer delineat. J. F. c. 1. poſ. 15. ſeqq.*

am habebat, sed quantum a superioribus accipiebat, per annum fruebatur. *Cæs. de B. G. l. 6. c. 22. Tac. de M. G. c. 26.* Interim tamen spe prædæ & ex odio pacis, quilibet lubens in bella atque prælia ibat, atque pro se suisque fortiter pugnabat *Tac. de M. G. c. 14. in f.* Deinde proprietate introducta nota erat Terra Salica g) atque

g) Acriter satis disputatur inter Dd. unde hæc terra nomen acceperit, *Coccei. in prud. J. P. C. 3. § 90. & c. 15. §. 9.* derivat a germanico verbo Saal, quod idem ac Palatium significat, adeo ut Salii proceres sint, qui in conventu publico apud Francos conspicui fuerint. *Rubard. in diss. de Francorum Saliorum* & Salicorum origine atque differentia derivat Saalicum ut *Coccej.* a Saal seu Palatio. Salium vero a Martis Sacerdotibus qui ob velocitatem & crebris saltationibus Salii dicebantur, & hoc nomen putat ideo Francis attributum fuisse, ob eorum armaturam levem eorumque velocitatem. *Hertius in notit. regn. Franc. Vet. c. 1. §. 10.* derivat a Fluvio Saala, qui nunc Isala vocatur. *Eccard in not. ad Leg. Salic.* derivat *in prolog.* seu *præfat.* a pago Salagheve qui situs fuit inter Saalam Franconicum & Moenum. *B. G. Struv* in tractatu *de allod. Imper. c. 1. §. 8. not. 5.* distinguit inter tempora diversa putatque primis temporibus Saalicos esse eosdem cum Francis, postquam autem Franci sibi Galliam subjecissent, proceres auli dicti fuerint Salici. Magis placet Ill. *Mascovii* derivatio, quam habet in *Historia Germ. l. 6. c. 58. not. 2.* qui dicit, quod Saal idem sit ac locus aquosus multisque paludibus abundans, & probat id de provincia, quæ in transIsalano districtu sita est, & Saalandia vocatur, a paludibus istis, quæ ibi reperiuntur, nam hic locus etiam congruit cum sede antiqua Francorum, qui antequam in Gal.

que privata hereditas, illa erat terra immobilis, allodialis tamen *b*) quæ tam noviter acquisita *c*) quam Aviatica bona

liam irrumperent, Sicambriam inhabitarent. Hinc, qui ad ripam Rheni atque sinus Austrini habitarunt, Ripuarii procul dubio nominati fuerunt, qui vero versus paludes, Saalii.

b) Dissentit *Coccejus in Hypom. J. F. tit. 1.* §. 2. putatque proceres Germanorum tuendæ dignitatis vel officii causa a republica terras salicas habuisse, sed hæc convelluntur ex loco Tac. atque Cæsaris in §. *cit.* ex quibus apparet, quod antiquis temporibus ob prædam belli sudores subierint, hinc probabile non est, ut pro remuneratione terras acceperint. *add. Thomas. in Sel. cap. hist. J. F.* §. 4. *usque* 31. Non tamen plane alienus sum à *B. J. Struvio in tract. de allod. Imp. c. I.* §. 8. qui statuit, quod terra Salica adhæsierit coronæ, olim enim, uti patet ex loco *Cæs. in* §. *cit.* omnia bona totius provinciæ fuerunt coronæ, & ex libera superioris dispositione dependebant, sed in hoc a Struvio divortium facio dum putat de Domaniis bene merito terram Salicam fuisse concessam, cum ex laudatis autoribus appareat, quod terræ datæ sint ad sustentationem subditorum sine distinctione, nec non, quod majores nostri ex cupiditate pugnandi prædam occupandi, laudemque inde hauriendi discrimina belli subierint. Deinde rerum dominio introducto procul dubio retinuit quilibet, quod in ultima divisione accepit de immobilibus, & exinde terra Salica originem traxit, accedit, quod quicquid in *legibus Salicis tit. 62* Salica terra vocatur, in Ripuariorum legibus. *tit. 56.* alodevocetur imo connumeretur in *cit. tit. L. Salicæ* inter allodia.

c) Nec in hac thesi mecum consentit *Cocc. cit. l.* & quidem hac ex ratione, quia terra Salica aviatica & avita vo-

bona comprehendebat, solique masculi successionis capaces habebantur, & iis exstinctis feminæ demum admittebantur *k*) Hæc vero, scil. privata hereditas, consistebat in rebus mobilibus cum feminis dividendis *l*) Alia bona, ante Reges constitutos, cognita non erant

§. VIII.

catur *in Ll. Ripuariorum t.t. 56. pr.* it. Stamm-Güter. Hoc enim nomen habebant a succesione, quia scilicet in iis saltim succedebant masculi, qui stirpem propagabant. Notum scil. est, quod antiquioribus temporibus, inprimis in Germania, filii excluderent feminas a successione immobilium, quod & *Thomas. adprobat in c. l.* Quod autem vel Avita vel Aviatica nominaretur procul dubio exinde provenit, quod a potiori denominatio desumeretur. Certo enim certius, est, quod rerum dominio introducto, majores tenaces fuerint in possessionibus adquisitis. In hoc tamen plane a *Thomasio* discedo, qui *c. l. §. 18.* loco terræ aviaticæ legit Aduaticæ vel Atuaticæ atque derivat hanc denominationem, a Metropoli Ripuariorum. Hoc enim unicum ad retundendam hanc opinionem sufficit, quod in omnibus diplomatibus Aviaticæ nomen legatur, imo & Haviaticæ vel Habiaticæ *add. Diploma Conradi I. apud Eccard. in add. ad LL Salicas p. 202.*

k) Putat equidem *Coccej. c. l. §. 3.* quod alii populi germani feminas perpetuo, alii vero donec masculus existeret, excluserint, commotus à *L. Salica tit. 62.* & *L. Ripuar. tit. 56.* Sed quia hæ leges unius populi sunt, scil. Francorum, ergo etiam una lex ex altera est explicanda, & unius positio scil. successionis masculorum, non statim est exclusio alterius, scil. successionis subsidiariæ feminarum *add. Thomas. c. l. §. 17. & 20.*

l) Negat *Thomasius* successionem rerum mobilium *in Hist.*

§. VIII.

Regibus deinde electis *m*) officia honoraria militaria,
B aeque

l. F. §. 6. quia Franci suppellectilis luxuria exulaverint, & quae ex rebus mobilibus adfuerint, in agriculturam ac pecuarium usum convertenda fuerint & pro accessoriis praediorum habenda. Sed nihilosecius placet opinio Cocceji, qui privatam hereditatem a terra Salica distinguit. Nam si vel maxime concedamus, quod LL. Salicae a Francis transrhenanis sint conditae, qui in maxima paupertate vivebant, habuerunt tamen, quae ad victum atque amictum pertinebant, quae partes sunt privatae hereditatis ad feminas transeuntis. Interim tamen eorum opinio longe probabilior est, qui LL. Salicas adscribunt Francis cis Rhenanis, ex mente Romanorum ita dictis, qui more Romanorum varia suppellectile abundabant. Imo saepius citatae LL. Salicae & Ripuar. successionem feminarum in mobiles adprobant. *B. G. Struvius in Ip. F. c. 1. §. 7.* privatam hereditatem Leode vocat, germanice die Fahrniß.

m) Ubinam primi Reges Francorum sint electi, satis dubium redditur ab obscura Historicorum recensione. *Gregorius Turonensis l. 1. c. 9.* dicit, quod Franci littora Rheni amnis incoluerint, deinde transacto Rheno Thuringiam transmeaverint ibique juxta pagos & civitates Reges crinitos super se creaverint, addit quoque quod Chlogio Francorum Rex apud Dispargum castrum habitaverit, quod in termio Thuringorum sit, quem locum *Eccard in LL. Salicis* & quidem in *prologo* ad verba *Salagheve* sequentem in modum explicat, quod Thuringia sit nostra hodienum nota, Dispargum vero sit die Diesburg scil. mons in Hennebergia situs, quae opinio nec displicere

æque ac judiciaria desiderabantur, *n*) quæ gratis non facile haberi poterant, hinc de stipendio erat cogitandum, in paupertate autem ista Germanorum, Salarium in pecunia non poterat præstari, hinc in remunerationem officiorum dabatur dominium utile cujusdam terræ sub lege fidelitatis. Habemus igitur Francos pro primis feudorum inventoribus, quam nostram opinionem late defendit & probat *B. G. Struv. in Juris p. F. c. 1. §. 4.* & *Thomasius in differt. de orig. Feud. §. 3. sqq. it. in Sel. cap. H. F. §. 34. sqq.*

§. IX.

Ad Francorum imitationem aliæ gentes Germanorum

videtur *Leibnizio in Orig. Franc.* confirmatur hæc opinio ab *Aimoino l. 1. de gestis Franc.* c. 4. & 5. ubi dicit quod Clodio castrum Dispargum inhabitaverit, & ab eo trans Rhenum exploratores miserit, cum exercitu subsecutus sit, atque Cameracum civitatem expugnaverit. Sed quia Aimoinus. 1) est scriptor seculi IX. omniaque sua Gregorio Turonensi debet, hinc quatenus ab eo dissentit, ei credendum non est, 2) Rhenus transigendus non erat, si germanus in Thuringiam tenderet 3) recenset pagos atque civitates, quæ tunc tempris in Germania magna vix nota eant, addit 4) quod meridionalem plagam inhabitaverint Romani usque ad Ligerim, quæ omnia ad Thuringiam nostram adplicari non possunt & 5) si Dispargum Hennebergicum sit intelligendum non statim Cameracum potuisset invadi. Hinc si omnia conferimus, facillime calculum illis addimus, qui loco Thuringiæ, Tongriam, in Gallia Belgica sitam, intelligunt.

n) Ob hanc triplicem finem Feuda sunt constituta, neutiquam vero unice militiæ caussa. 2. F. 5. & 6.

rum Feuda constituerunt, de Longobardis res in aprico est, de Gothis vero Alemannis & Burgundionibus non æque, licet id ostendere conetur *B. G. Struvius Jurispr. F. c. 1. §. 5.*

§. X.

Nimis generaliter igitur Germani pro Feudorum inventoribus a nonnullis venditantur, sub hoc enim nomine quamplurimæ gentes comprehendebantur, igitur speciaiiores auctores dedimus (§. 8.) Negari tamen non potest quod sint Feudorum propagatores (§. 9) ubicunque enim Germani *) sedes olim fixere ibi etiam feuda reperiuntur v. g. in Gallia Anglia, Italia, Belgio.

§. XI.

Hinc voces atque formulæ feudales sunt germanicæ & si de earum derivatione contenditur origo Germanica vel Longobardica est accipienda (§. 2. & 10.) *Cocc. hyp. F. tit. 1. §. 15.*

§. XII.

Ex hactenus demonstratis apparet quam longe a vero absint qui feuda deducunt 1) a confusione Babylonica *vid. Niel disp. F. 1 §. 1. & Stryck. Exam. J. F. c. 1. qu. 3.* vel 2) a Solduriis Gallorum de quibus *Cas. B. G. L. 3. c. 22.* vel 3) a Timariotis Turcarum, prædium quidem a Turcis

 ha-

*) Hæc non contradicunt §. *præc.* Nam de Francis & Longobardis certum est quod feuda habuerint, Galliam autem Belgiumque occuparunt Franci, Italiam Longobardi, Angliam Saxones.

habent, quod Timar vocatur, hinc in Hungaria prædiales audiunt, præstare etiam servitia militaria tenentur, sed desunt essentialia (§. 3.) & longe Feudis noviora. 4) vel a Iaponensibus *vid. Struv. in Syntagm. J. F c. 1. aph. 3. n. 2.* In hisce enim vel deest dominium directum & utile, vel fidelitas vasallitica, vel confunditur nexus subjectionis cum feudali, vel plane conficta sunt, immo cum efformarentur Feuda, plura Francis fuerunt incognita, quæ recensuimus.

§. XIII.

Majorem adplausum illi meruerunt olim, qui a Romanis Feuda derivarunt, qui tamen in diversa plane iterum abierunt. Alii nempe 5) ad Clientelas provocant, hinc etiam jus F. clientelare vocant. Sed plane in his clientelis nihil reperio quod cum Feudis convenientiam haberet; Patronus namque nihil Clienti debet sed hic potius illis xenia & honoraria offerebat, cum in Feudis a Domino concederetur Vasallo dominium utile. Cliens Patrono nec honoraria nec militaria aut judicialia officia præstabat, nec obligatione quadam fidelitatis erat obstrictus, quamquam Patrono reverentiam, ob præstitam defensionem exhiberet, hinc plane in hisce desunt feudorum essentialia. Idem dicendum est de illis qui 6) ad foedera inæqualia provocant nec 7) Militiæ Romanæ in censum venire possunt quippe pro his dabatur stipendium in pecunia numerata consistens multo minus 8) Romanorum coloni cum Vasallis sunt comparandi, quippe qui potius glebæ adscripti erant, aut 9) homines aut

acto-

actores qui pars familiæ, & aliorum bonorum administratores erant *L. 2. C. de Episcop. & Cler.* Imo 10) prædia stipendiaria aut 11) limitaneorum cum feudis non conveniunt quippe subjectionis nexum potius quam Vasalliticum in illis reperire possumus, dabuntur etiam potius pro officio jam præstito, feuda vero pro officiis in posterum præstandis *Böhmer J. Eccles. L. 3. tit. 20. §. 3.* nec illis calculum addo qui 12) ad agros Vectigales provocant, licet enim adsit divisio dominii directi & utilis, deest tamen obligatio Vasallitica, præstatur saltim canon, & longe alium ac Feuda finem habent. *add. t. t. ff si ager vectigal.* Accedit, quod Germani & Romani hostes fuerint, hinc probabile non est quod mores horum adeo adamaverint, si luxum excipias, Germani.

§. XIV.

Alii ad Græcos recurrunt & 13.) Feuda inveniunt in prædiis Græcorum de quibus vide *5. F. 16.* Sed quia pleno jure ad milites pertinerent & præter officia militaria reliqua feudalia (§. 8.) cessarent hinc & certo modo alienari poterant, plane feudorum essentialia in eis desidero. Restant 14) Comites principum de quibus *Tac. M. G. c. 13.* in his seminarium feudorum quærit *B. G. Struv. Jpr. F. c. I. §. 3. in notis*, consentit *Spener in Observ. Hist. Feud. Obs. I. §. 5. ibique in nota. a)* immo latius progreditur & ipsa Feuda exinde demonstrare conatur, Sed tota ejus demonstratio possibilitatibus nititur, a quibus ad esse nunquam firme concluditur, hinc quia es-

sentialia feudorum absunt, pro feudis non habeo, ejusmodi tamen instituta feudis occasionem dedisse non prorsus abnuo, inprimis si cum laudato *Spenero c. l. . 3.* distinguere velis principia, vestigia & origines Feudorum.

§. XV.

Ab initio feuda vocabantur beneficia *1. F. 1. §. 2. 2. F. 34. §. 2. vid. §. 3. not. e.* Honores, militiæ, *vid du Fresne sub his vocibus*, donec feudi vocabulum usus recipiebat. Sed hoc valde dubium quando hoc vocabulum in scriptis publicis sit adhibitum, alii provocant ad tempora Caroli Crassi ob satis notam istam constitutionem quam exhibet *Lehmann Chron. Spir. L. 2. c. 42. vid. Ant. Dominic. de prærogativ. Allod. c. 15.* quam tamen ut suspectam reiecit *Thomasius aliique in Differt. de lib. veteris de benefic. aut. fat. vetust. §. 15. sqq.* citati. Nos ita sentimus; vocabulum feudi est germanicum (§. 2) hinc semper germanis cognitum fuit, Quanquam igitur sub initio feudorum haud frequenter occurrat in diplomatibus. aliisque scriptis (§. 3.) non statim tamen antiqua scripta, hanc vocem habentia, sunt suspecta. Hinc & *B. G. Struv. Ipr. F. cap. I. §. 6.* ad Sec. IX. refert, licet in reliquis cum Thomasio faciat. Ad hanc assertionem colorandam provocat ad Testamentum Alfredi Anglorum Regis qui obiit anno 900, teste *Spelmanno in ejus vita L. 3. p. 169.*

§. XVI.

§. XVI.

Hisce deinde opponebatur Allodium de cujus denominatione varias opiniones doctissimorum virorum congessit *B. G. Struv. in Allodiis Imp. c. 1. §. 3.* Nobis placet eorum opinio qui vel ab all vel alt & Od derivant. Opinio & hæc nobis suborta est, annon idem sit ac Ahnen Od, hoc est possessio a majoribus ad nos delata, & quidem sequentibus ex rationibus 1) quia in antiquis LL. terra avita vel aviatica dicitur (§. 7.) 2) olim proprietas ab allode distinguebatur, proprietas autem comprehendebat noviter adquisita *vid. B. G. Struvii Hist. Juris c. 8. §. 1. Glossa* Land-R. *Lib. 3. art. 39. §. 2.* Ein zinß Gut ist weder eigen Erbe noch Lehn & apud *Datt. L. I. c. 1. n. 37.* in privilegio Francofurtens. das niemand die Bürger zu Franckfurt heischen soll um Gut/ Lehn und Eigen. & in antiquis monumentis passim.

§. XVII.

Ius Feudale est lex a superiore lata obligans Dominum directum & Vasallum circa negotio feudalia. Feudalis consuetudo est obligatio ex frequentia actuum feudalium inter Dominum directum & Vasallum agitatorum & in contradictorio judicio firmatorum (in Saxonia ex præscriptione XXXI. annorum 6. Sept. & 3. dier. corroboratorum) tacita superioris voluntate introducta.

§. XIIX.

Duplex Jus feudale reperitur, aliud pertinet ad feuda

da nobilia *p*) sive majora sive minora, aliud ad feuda plebeja, civium scil. & rusticorum *q*) utriusque in sequentibus exponere naturam mens est.

§. XIX.

Origo juris feudalis non discrepat ab origine Feudorum. Jus enim rerum, *inquit Thomasius in Sel. cap. Hist. J. F. G. §. 2.* uti nec sine rebus, ita nec ante res existit. Nam pacta ista inter Dominum & Vasallum inita ut leges procul dubio observanda erant, ex quibus deinde consuetudines feudales ortum traxerunt. Deinde & reges ipsi leges feudales edidere. Ita *Baluzius T. I. p. 182.* exhibet constitutionem Pipini, *p. 494.* Caroli Magni

p) Ad primam I. Feudalis classem pertinent ea quæ habet *Spec. Sax. L. I. art.* 3. und als die Christenheit in der Siebenden Welt keine bescheidene Zeit weiß wie lange sie stehen soll, also weiß man auch nicht an dem Siebenden Schild, ob der lehn oder Heerschilds recht haben möge. *I. F. Allem. c. I. §. 2.* addit die Künige hat es also gesetzt wer mit den Siebenden Heerschilde zu tünde habe der soll Lehn-Rechts darben. Hinc & dispositio *A. V. de Beneficiis* §. 4. Clerici, mulieres RVSTICI & MERCATORES &c. & omnes qui non sunt ex homine militari ex parte patris eorum & avi jure carent beneficiali. Nam si hæc in genere ita æstimentur de omni jure feudali multa absurda inde promanarent, quæ vide in *diss. nostra de Feudo urbano §. 17. ibique in notis.*

q) Hoc explicat *A. V. de Benef.* sub rubrica *feudi Urbani, & J. Feud. Sax. c. 72.* Quodsi igitur hæc distinctio observetur multa evitari possunt, de quibus laborant DD.

Magni proſtant LL. feudales & Ludovici Pii &c. Nec dubito etiam antiquiores leges feudales exſtitiſſe quarum veſtigia hinc inde reperiuntur. Ita in antiquis *LL. Bajuv.* multa diſponuntur de iis qui ſunt de genere ducali *Tit. 2. cap. 20. pr. edit. Lindenbrogiana* item quod dux debeat eſſe de genere Agilolfingorum qui fidelis eſſet regi *ib. c. 20. §. 3.* adde & *Fragm. Ann. Franc. ad ann. 787.* Et dolendum quod ab initio Franci non hiſtoricos habuerint, hinc eorum hiſtoria multis in rebus eſt intricata.

§. XX.

Hos inſecuti ſunt reliqui Imperatores Germanorum, quorum catalogum ex ipſis LL. Feudorum Longobardicis recenſet *Cocc. Hyp. J. F. tit. 1. §. 10. & B. G. Struv. in Jurisp. F. c. 3. §. 2.* Sed hi omnes non integrum Syſtema aut connectentem compilationem tentarunt ſed LL. ſigillatim, prout ratio temporum atque vaſallorum mores exigerent, ſanxerunt *r*).

§. XXI.

Deinde prodierunt variæ LLgum æque ac conſuetudinum Feudalium collectiones, privatæ tamen, & Legislatoria poteſtate deſtitutæ. Sed quænam antiquiſ-

 ſima

r) Putat equidem cum aliis *Struvius in ſyntagm. J. F. aph. 5. c. 1. n. 2.* Fridericum I. ejusmodi compilationem procuraſſe, quam credunt eam eſſe, quæ ſub titulo conſuetudinum feudalium corpori noſtro Juris adhæret, ſequentibus ex rationibus 1) quia *Radevicus l. 2. c. 7.* ad-

firma fit fatis dubium redditur. Quilibet fuo indulget adfectu. *Thomasius A. Veteris de Beneficiis* primus editor hunc pro antiquisfimo habet s) *Schilter qui J. F. Allemannicum* ab injuriis tinearum atque blattarum vindicavit,

ferit,quod feudorum LL. promulgaverit, quia pene omnes beneficiorum iuftitiam in injuftitiam converterint,ei adftipulatur *Otto de S. Blasio c. 14. Guntherus in Ligurino L. 8. v. 550.* Sed omnes de compilatione quadam tacent,&LL.quas commemorant vide *2. F. 27. 53. 55. 56.* nec obftat 2) quod confules Mediolanenfes Gerhardus Niger & Obertus de Orto circa tempora Friderici fluerint, nam & hi perperam habentur pro auctoribus compilationis jam dictæ, de qua re paullo poft agemus (§. 22.)

s) argumenta funt fequentia, quæ vide *in Diff. de liberi V. de B. Auctore, Fato Vetuftate*, §. *12. fqq.* Primo ex collatione hujus libelli cum J. F. Saxonico & Allemannico adparere putat, quod compilatores horum jurium, libellum iftum, transtulerint in idioma Germanicum, fed fervata libertate, ubicunque libuerit multa inferendi. Quanquam igitur in comperto habeam quod omnia, quæ in hoc libello contineantur, etiam in J. F. Sax. & Allemannico legi poffint, tamen eadem facilitate argumentatione Thomafii inverfa colligere poffim quod horum iurium fuerit epitomator, atque metaphraftes, fæpenumero tamen fatis incomtus & horridus. Secundo quæ ex voce feudi colligit §. 14. ipfe dubia reddit §. 21. & a nobis jam dubia fupra (§. 15.) funt reddita, Majus robur accerfere tertio videtur ex §. 34. quod Conradus II. ftatuerit fratres æqualiter fuccedere debere, quod Auctor Vetus negare videatur. § 76. fed multa heic defidero 1) fi vera funt quæ proponuntur *1. F. 1. §. 1. & 2.* faltim obtinuerunt

vit, hoc pro antiquisſimo habet t) Saxonum ſane jus Feudale pro antiquisſima habetur collectione in Germania u).

§. XXII.

Jus Feudale Longobardicum quod tanquam ſubſidiarium cum I. Rom. in foris noſtris habemus, collectum videtur ab Anonymo, quem Hugolinum JCt. Bononinens. credunt nonnulli. Collectum eſt non ſolum ex Gerardi Nigri f. Capegiſti, ſed & Oberti de Orto ſcriptis ut & ex Conſtitutionibus Imperatorum ſcil. Conradi II. *1. F. 1. §. 2.* Henrici III. *2. F. 57.* Lothorii II. *1. F. 19. 2. F. 52.* Conradi III. *2. F. 40.* Friedrici I. (*§. 20. not. r.*) Addidit hinc inde & ſuam opinionem compilator *2. F. 46. 47. 51.* imo & aliorum imprimis Philiberti Epiſcopi Carnotenſis, qui ineunte Sec. XI. vixit. *2. F. 6. adde c. 18. C. 22 qu. 1.* An vero hæc compilatio auctoritate Friderici II. fuerit

 ſuſcepta

in Italia neutiquam in Germania ratione feudorum majorum ſaltim, uti plenius alibi demonſtrabo. 2) totus textus *A. V. de beneficiis* § 6. nil lucis adfert opinioni Thomaſianæ quippe commodiſſime interpretari poteſt de procuratore feudi ob verba: *filiorum arbitrio ſit &c.*

t) Putat ſcil. a Carolo M. eſſe confectum in *præfat.* ad *cit. J. F. A.* §. 8. ſed huic opinioni dicam ſcripſit *B. G. Struvius in H. Juris c. 8.* §. 16. additque exinde probari poſſe hoc jus Saxonico novius eſſe, quia illud ſæpius provocet ad Jus Juſtiniani, a quo tamen hoc abhorreat.

u) Hiſtoriam totam hujus juris Feudalis diligenter excuſſit *Ludovici in præfat. ad illud.* Putat *Thomaſ. in Sel. Feud.* §. *59. & 60* Auctorem hujus juris eundem eſſe cum Auctore Speculi Saxonici ſcil. Epkonem de Repko, quam

suscepta, dubium satis est? Nam si hæc vera essent, procul dubio Juris scripti species esset, quod tamen negant strenue, qui quæstionem nihilosecius adfirmant. (x)

XXIII.

HOc Jus sensim cum J. Rom. in foris academiisque Germanicis introductum videtur ineunte Sec. XV. *B. G. Struv. Ipr. Feud. c. 3. §. 8.* Continet Capitula ordinaria atque Extraordinaria, illa continentur in duobus libris prioribus usque *tit. 58.* inclusive, hæc vero incipiunt a *tit. 73.* qui proximus est post *tit. 58*, usque ad finem Lib. 5. Hæc capitula extraordinaria nil probant nec recepta in foris conspiciuntur, addita sunt a Cujacio, qui quinque libros feudorum fecit, dum alterum vulgatæ librum, in tres dispescuit, tertium orsus a *tit. 23.* quartum a *tit. 25.* Cujusque libri titulos secuit eorumque numerum auxit, addidit L. 5. ex variis Constit. Imp. Omisit *tit. 52.* & quinque sequentes & reiecit *in libr. V.* Vsus fori saltim agnoscit duos libros & contraxit iterum titulos

opinionem etiam amplexus est *B. G. Struv. Jurispr. F. c. 3. §. 4*

x) Provocant imprimis quod *Gobel. Persona* dicat *Cosmodr. art. VI. c 64.* Fridericus II. fecit quendam librum de feudis. Sed locus hicce, satis obscurus est an loquatur de nova feudalium LL. confectione, aut earum compilatione, aut denique de confectarum ab aliis confirmatione. Deinde Gobelinus persona scriptor est novus, cujus testimonium hac in re non omni exceptione majus videtur. *vid. Thomas. Select. cap. §. 65.*

titulos quos Cujacius secuit, hinc hiatus inter *tit*, 2. *F. 58. & 73. Cocc. hyp. I, F. tit. 1. §. 8. & 9.*

§. XXIV.

Hoc Jus F. Longobardicum apud Italos mixtum fuit, partim ad Jus scriptum partim ad jus non scriptum referendum erat. Quatenus scil. constat ex Constitutionibus Imperatorum, scriptum est, quatenus vero ex usu fori, ad consuetudines referendum. In Germania tamen ad Jura scripta referre nullus dubito, hac ex ratione, quia publica auctoritate in scriptis est receptum *y)*

§. XXV.

y) Omnes ferme Dd. ad Consuetudinarium referunt, ex diversis rationibus. Scio optime quod consuetudo in scripturam a privato redacta maneat Jus non scriptum, sed hæc ad Jus F. non quadrant 1) quia continet Constitutiones Impp. 2) quia quatenus in scripturam redactum est in foris receptum & quidem 3) publica auctoritate. Nam si hæcce receptio non Jus scriptum efficit, nec J. Rom. aut Canonicum est Jus scriptum, quia Imp. Rom. aut Pontificis sanctiones nos non obligant, sed valet apud nos ex receptione; si igitur receptio libera non facit ius scriptum, Jura iam laudata sunt consuetudines. adde *differt. nostram de J. Scripto & non scripto antiquitat. rest.* ubi ad Jus scriptum etiam scripturam requirimus. Alia quæstio est an sit referendum ad jura Civilia, Affirmat *Horn. Jpr. F. c. 1.* §. 6. negat *B.*

§. XXV.

Mincuccius de Prato veteri JCtus Bononiensis hoc Jus Longobardicum in VI. libros digessit, melioremque ordinem tentavit, primum a Schiltero est editus, atque prostat in Schilteri J. Feudali Alemannico. Jussu quidem Friederici III. *testante Cuspiniano*, hunc laborem suscepit Mincuccius, sed quod confirmatus sit nullibi prostat. Bartholomæus Baraterius æqualem laborem suscepit, sed horum labor parum utilitatis adfert Jurisprudentiæ feudali, interdum tamen in textibus obscuris consuli possunt.

§. XXVI.

Jus Feudale Saxonicum atque Suevicum continet harum gentium mores, qui a privato sunt litteris consignati, hinc quatenus hodie probari possunt eatenus & hodie valent. Jus F. Longobardicum enim saltim est subsidiarium (§.12.) hinc mores patrios non plane abolevit *Struv. Syntagm. J. F. c. 1. §. 8.* dissentit *Schilter §. 2. & 18. in*

G. Struv. Ipr. F. c. 1. §. 1. refertque ad jus Gentium particulare, Jus Gentium particulare autem & Jus Civile sunt affines si plane non sunt synonyma; Igitur refero ad Jus Civile quatenus singulorum utilitatem concernit, & Publico Juri opponitur *arg. §. ult. J. de Just. & Jur.*

18. *in comment. ad præf. J. F. Al. Thomasius Sel. Feud.* §. 70. 72. & plures.

§. XXVII.

In decidendis igitur controverſiis feudalibus ante omnia inſpiciendæ ſunt inveſtiturarum litteræ, & ſi hæ diſcrepant prioribus credendum, quia mutatio non præſumitur ſed probanda; Nam regulariter litteræ poſteriores eundem tenorem habent cum reliquis. Si hæcce cauſſam non decidunt, recurritur imprimis in Feudis illuſtrium, ad pacta gentilia, atque confraternitatis. Hiſce deficientibus reſpiciendæ ſunt inter illuſtres LL. fundamentales Imperii, inter privatos vero conſuetudines ac jura feudorum provincialia. Si aliud jus obtinet in loco contractus, aliud in loco ubi res ſita eſt, in realibus actionibus jus rei ſitæ, in perſonalibus jus loci contractus procul dubio obſervatur, ex regulis Juris Communis, niſi aliud expreſſe pactum, quo redit tota diſputatio *B. G. Struv. J. F. c. 3. § 16.* Patriis juribus ac propriis pactis deficientibus evolvitur J. F. Longobardicum, neque hoc cauſſam dicidente progredimur ad jus Canonicum, quippe quod 1) diu ante J. Rom. in Germania fuit receptum 2) ſub æquitatis ſpecie diu ſe commendavit 3) multa de feudis diſponit, tandem progredimur ad jus Civile z) Roma-

z) diſputatur an in cauſſa Civili allegari poſſit Jus feudale, ſi civile deficiat? Negat quæſtionem *B. G. Struv. c. 3. §. 17. Struv. in Syntagm. J. F. c. 1. aph. 14. Lynker in A-*

manum quatenus in uno quodam tertio analogia demonstrari potest v. g. in F. emphyteutico, restitutionibus &c. & hisce omnibus deficientibus ad Jus Naturale.

§. XXVIII.

Interpretatio in hoc jure eadem est quæ in LL. aliis. *zz*) Modo circa diversas, quæ sæpenumero recensentur a compilatore opiniones, hoc observetur, quod nec prima nec ultima semper genuina sit sed quæ analogiam juris proxime tangit. *Cocc. Hyp. J. F. tit.* 1. §. 14.

nal. ibid. Affirmare videtur quæstionem *Finckelth. Disp. 1. th. 9.* in testem vocatus a *Cocc. Hyp. J. F. tit. 1.* §. 11. revera tamen facit cum prioribus, quia quatenus idem dicit quod recta ratio dictitat, eatenus J. F. allegationem in civilibus admittit, in reliquis vero dissentit. Hinc dico ubi Jus civile nil disponit in rebus non feudalibus, omnino feudale Jus, si ex ratione recta res non potest decidi, in subsidium est vocandum, exempla sunt in jure protimiseos, item in matrimonio ad morganaticam. Liberi enim ex tali matrimonio procreati pessime confunduntur vel æquiparantur cum liberis naturalibus *2. F. 29.*

zz) cave tamen ne in errorem vulgarem incidas ac esset Jus F. ex Civili restringendum aut corrigendum, quatenus ab eo discrepet. Id quod & de statutis adferunt Dd. Nam hæc erronea hypothesis vel exinde convellitur, quia omnes LL. ex mente legislatoris sunt interpretandæ, quod si igitur ex vulgari opinione restringitur lex, non mens legis exponitur, sed præjudicium auctoritatis inculcatur.